

T I T. IV.

De Delictis Ecclesiasticis.

C A P U T I.

De Pœnitentia Canonica.

1 **H**orum ecclesiasticum pœnitentiæ in omnia delicta Clericorum, Laicorumque porrigitur. Ait S. Bernardus (a): *Ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata &c. Quanam tibi major videtur & dignitas, & potestas dimittendi peccata, an prædia dividendi?*

2 Supersunt longa serie veterum Conciliorum, Canonumque Decreta, quæ diversis peccatorum generibus ordinem, modum, tempus, processumque pœnitentiæ discretissime præscripserunt, in ordine ad decernendam salutarem expiationem, merendamque sacramentalem absolutionem. Exercuit Ecclesia hanc suam auctoritatem in omnia crimina, etiam levissima, publica, atque occulta. Porro omnia, quæ Episcopi circa crimina exercebant, cum Pœnitentiæ Sacramento connectebantur. Non enim erat forum externum in foro interno, seu sacramentali per XII. sæcula disjunctum.

3 Quippe sive Episcopi in peccata inquirent, sive testes audirent, sive censuris, aliisque pœnis canonicis procederent; hæc omnia ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant. Sic non erat aliud tribunal, in quo excommunicandus, vel excommunicatus judicabatur, aliud, in quo pœnitens sacramentalem absolutionem merebatur.

4 Sæculo VII. (b) quidem invaluit, quod de peccatis publicis publicam, de peccatis occultis privatam pœnitentiam agere oporteret; ita, ut publicorum peccatorum confessio, pœnitentia, & absolutio Episcopo, ejusque delegatis ministris reservaretur; occultorum autem confessio, pœnitentia, & absolutio ad reliquos inferiores Presbyteros remitteretur. Utrumque tamen illud forum ad Sacramenti pœnitentiæ administrationem, sive peccatorum curationem directe, indirecteque referebatur. Sic omnis generis crimina jurisdictionis ecclesiasticæ in ordine ad forum pœnitentiæ fuere.

5 Ait Morinus (c): *Quapropter, qui propter crimen lege*

(a) S. Bern. de Consid. lib. 1. cap. 6. (b) Morin. de Pœnit. lib. 1. cap. 10.
(c) Lib. 7. cap. 6.

civili punitus fuerat: quia civili examine, & convictione criminum publicum erat: pœnitentiæ publicæ post toleratam pœnam civilem, sive pecuniariam, sive corporalem, subdebat: nunquam etiam post pœnitentiam publicam pœna civili puniebatur, pœnitentiam enim ut medicinam potissimum considerabant, peccatorem, ut ægrotum: ideo punitum quidem propter crimen pœna civili censebant, non autem sanatum. Christiana tantum pœnitentia eum vere sanare, vulnera per peccatum inflicta obducere credebatur.

6 Quum primordiis sæculi X. quidam jactarent, post sump- tum lege civili de reis supplicium, nullam superesse Episcopis infligendarum pœnitentiarum auctoritatem, Concilium Romanum ann. 904. declaravit (a), hoc præjudicium omnino irregulariter inolevisse. Habeant igitur Episcopi singularem urbium in sua diocesi liberam potestatem, adulteria, & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundum quod Canones censuerunt, absque impedimento alicujus. Et cum opus fuerit ad comprimendos rebelles, & contemptores, publicum placitum convocent, non ad præjudicandum, sed potius ad ea, quæ Deo placita sunt, & saluti animarum conveniunt, prosequendum. Ecce forum pœnitentiæ ecclesiasticæ à foro civili justitiæ procul ab omni præjudicio diversum est.

7 Inde Synodus Romana placitum publicum à regis Judicibus, utpote ministris fori justitiæ, in suppetitias esse vocandum censuit, si peccatores monitis, & Decretis Ecclesiæ, quibus ad suscipiendam pœnitentiam adigebantur, morem gerere detrectarent. Quippe illis sæculis coactæ pœnitentiæ frequentes erant. Statuit ann. 816. Synodus Moguntina (b): *Quod si Sacerdotum monitionibus noluerint aulem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per sæcularis potentiæ disciplinam à tam prava consuetudine coerceri?* Quid clarius? S. Synodus ministris pœnitentiæ monita, & censuras vindicat; jurisdictionem coactivam à ministris justitiæ in subsidium vocat.

8 Juxta Morinum (c) circa sæculum XII. cœpere Scolastici forum pœnitentiale à foro judiciali Ecclesiæ secernere, ita, ut forum pœnitentiale passim vilioribus, & inferioribus Presbyteris, in ordine ad sacramentalem absolutionem dispensandam, relinqueretur; forum vero judiciale Episcopo, aut ejus Vicario, aliisque, qui jurisdictione exteriori gaudeant, reservaretur. Hi civiles omnes, criminalesque Clericorum causas, nec non plerasque laicorum judicabant, sed

Esp. Van-Ep. Tom. II Pp cum

(a) Conc. Rom. c. 22. (b) Conc. Mog. c. 28. (c) Morin. lib. 2. c. 9.

cum juris formulis, strepituque, & tumultu forensi; censurasque pro prudentia sua soli pronuntiarunt, vel à jure illatas declararunt; absolutionemque donarunt, quam culpæ, & peccatorum expuntricem esse noluerunt, ne forum judiciale, & externum novi juris cum pœnitentia, & interno confunderent; neve, quod necessum fuisset, longas, & multiformes secretæ omnium peccatorum confessionis ambages audiendo, defatigarentur.

9 Hac utriusque fori separatione stabilita, Episcopi, eorumque Officiales omnium criminum cognitionem, etiam adversus laicos, tribunali ecclesiastico, secundum Canones, ut pote novi juris Decretales, arrogabant; imo de omni causa, ubi quæstio de peccato inciderat, cognoscere prætendebant. Nam eo obtentu & Innocentius III. sibi causam belli publici inter summos Principes vindicavit. c. 13. de Judic.

10 Judices regii animadvertentes forum externum, & contentiosum esse plane à foro interno, & sacramentali separatum, nec pœnas canonicas infligi amplius per modum salutaris, & medicinalis pœnitentiæ in ordine ad purgationem delictorum, sed modo omnino forensi, & strepitu judiciali ad meram vindictam cœperunt laicorum causas criminales non secus, ac civiles, sibi reservare. Superest tamen, quod ad exemplum causarum forensium delicta dividantur in civilia, ecclesiastica, & mixta. De ecclesiasticis solus Judex ecclesiasticus etiam contra laicos pro tribunali pronuntiat. De civilibus solius Judicis laici adversus laicos est cognitio. De mixtis uterque per præventionem jus dicit.

Cap. 2.
De hæres.
& schism.

11 Inter delicta ecclesiastica primum locum tenet hæresis. Ex sententia S. Augustini (a) difficile est hæresin definire. Nonnunquam minus doctus hæreses putat, aut fingit, quas doctior à crimine excusat; uti in Philastrio, & Epiphano contigisse S. Doctor observat.

12 Inde discretiores, & recentiores auctores apprime commendant, ut dogmata fidei à placitis scholæ caute distinguantur. Juxta S. Gregorium (b): *Sunt multi fidelium, qui imperito zelo succeduntur, & sæpe, dum quosdam, quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt, aut fingunt.*

13 Ex rationibus S. Augustini superest vulgata hæresis definitio, quod sit *pertinax defensio dogmatis, Ecclesiæ universalis judicio condemnati*, sive Decreto Concilii Œcumenici, quod Arianismo Nicææ contigit; sive sanctione Concilii Provincialis, ab universa Ecclesia agniti, quod Pauli Sa-

(a) S. Aug. de hæres. præf. (b) S. Greg. lib. 9. ep. 39.

mosateni placitis Antiochiæ accidit, sive Pontificis oraculo, per totam Ecclesiam recepto, quale D. Innocentius adversus Pelagium edidit. c. 29. XXIV. q. 3.

14 Hoc exemplo Arcadius Imp. hæreticos, in ordine ad pœnas civiles, declarat, *qui vel levi argumento à judicio Catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deviare.* Monet Gothofredus (a): levi argumento denotari articulum dogmaticum, ut sensus sit, eum pro hæretico esse habendum, qui in quocunque articulo fidei, quamvis ipsi levis videatur, à judicio Catholicæ religionis, & tramite deviare convictus fuerit. Nam verba illa: *levi argumento*: referenda sunt ad verbum *deviare*. Nam juxta S. Hieronymum hæresis dicta est ab electione, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, vel sententiam, quam *proprio arbitrio* putat esse meliorem. c. 27. ibi.

15 Duæ ergo hujus causæ disceptationes sunt: una de jure, ut appareat, num dogma orthodoxum sit, an hæreticum? atque de hoc unice Ecclesia, id est, Concilium generale, aut Provinciale, Papa, aut Episcopus pronuntiat. Nam illud omne, & solum est de fide Catholica, quod est in verbo Dei scripto vel tradito revelatum, & ab Ecclesia fide divina credendum omnibus propositum.

16 Veteribus sat familiare fuit, quod fideles, siquæ obrepisset hæsitatio, ad sedem Apostolicarum Ecclesiarum remitterent, inter quas prima est Ecclesia Romana. Inquit Iræneus (b): *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorum principalem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos, qui undique sunt fideles: in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolicis est, traditio.* Extat quoque Theodosii Imperatoris edictum his verbis expressum. *Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus Religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio usque adhuc* (in codice Theodosiano legitur usque nunc) *ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret. L. 1. Cod. de fid. Cath.* Remisit ergo Theodosius populos speciatim ad fidem Ecclesiæ Romanæ, quia hæc Religionem ab Apostolis traditam usque adhuc, usque nunc semper custodivit.

17 In orthodoxis Provinciis spectatur & hæresis, ut crimen publicum, quia violat statum publicum Sacrorum, ipsamque tranquillitatem politicam Reipublicæ plerumque in discrimen mittit. Et vero indulgendum haud est, ut adversus Deum, &

Pp 2

dog-

(a) Gothofr. ad L. 28. C. Th. de hæret. (b) S. Iræn. adv. hæret. lib. 3. c. 3.

dogmata divina liberius, quam adversus Principem, adversus leges Reipublicæ fundamentales, vel contra bonos mores quidquam effutiat. Commendat S. Augustinus harum legum civilium æquitatem, quæ non tam vindictam, quam emendationem hæreticorum spirare videbantur. c. 37. & passim XXIII. q. 4.

18 Altera quæstio factum spectat, utpote, an hic, vel ille sit hæreticus? Juxta S. Augustinum: *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim, quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem causam sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Refert. c. 29. XXIV. q. 3.

19 Hac ratione & Innocentius III. damnatis opinionibus Joachimi Abbatis, auctorem ab hæresi excusavit, quia omnia scripta sua Apostolicæ Sedis judicio approbanda, vel etiam corrigenda subjecit. Hinc sat vulgatum est inter Interpretes axioma: *Non error, sed erroris pervicacia facit hæreticum.* Quid hac discretione æquius? c. 2. de SS. Trinit.

20 En aliud discretionis exemplum? Innocentius XII. ann. 1694. ad Episcopos Belgii rescripsit: *Ne ulla ratione quemquam vaga illa accusatione, & invidioso nomine Fanatismi traduci, aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his V. propositionibus in sensu vulgari docuisse, aut tenuisse; nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac conditionibus habendis, vel ab alia quacunque functione ecclesiastica permittatis, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris, alioquin Catholicis gravissima est commiserit probatum fuerit.* Hæsit satis diu invidiosum nomen; & quis eorum virorum, alioquin Catholicorum, qui tanto numero eruditum orbem saluberrimis scriptis instruxerant, in tanto contentionum æstu hucusque, servato juris ordine, cujuscunque illius erroris convinci potuit?

21 Jure novo & ipsa facti quæstio tribunali ecclesiastico vindicatur. Hinc Bonifacius VIII. prohibet districtius potestatibus, & dominis territorialibus, Rectoribusque, & Officialibus eorundem, ne ipsi de hoc crimine, cum mere sit ecclesiasticum, quoquo modo cognoscant, vel judicent. c. 18. de hæret. in 6.

22 Inde à quingentis annis hæ, aliæque hujus generis causæ peculiariter tribunalia, quæ Inquisitionum (a) dicuntur,

(a) De Inquis. orig.

peperere. Auspicio Fratres Prædicatores maxime convertendis Albigensibus (a), aliisque hæreticis nomen dederunt; quod munus sibi pariter recens instituti sumpsere & Fratres Minores, quorum animis, dum callerent, utendum censuit Pontifex, cum maximopere proficerent. Nam voce, & scripto refutarunt hæreticos, Principesque, & populos excitarunt, ut pertinaces persequerentur, pellerentque; numerum, conditionemque hæreticorum cujusque loci exacte explorarunt; quam diligentes Episcopi, quam assidui Principes, quam prompti ex plebe cæteri essent in extirpandis hæreticis, curate observarunt, Romamque retulerunt. Jurisdictione quidem tum destituti, animarunt tamen nonnunquam Magistratus ad proscribendos, vel puniendos hæreticos, ac Dynastas ad arma sumenda, populumque ad belli societatem signo crucis panneo, pectori affixo, excitarunt, harumque expeditionum sociis easdem indulgentias dederunt, quas nacti sunt, qui ad bellum sacrum in terram sanctam profecti fuerant.

23 Successu temporis expeditiones in Inquisitiones degenerarunt. Fridericus II. Imp. Honorio III. Pontifici ann. 1224. Paduæ reconciliatus, quatuor edicta promulgasse dicitur; quibus sæcularibus Judicibus hæreticos, ab Ecclesia judicatos, puniendos commendavit, & obstinatis ignem ultorem; pœnitentibus carceres perpetuos præstituit; pœnas adversus perduellionem, & læsæ Majestatis crimen scriptas ad hæresin extendit, omnesque leges tum jure civili, tum jure canonico adversus hæreticos latis confirmavit. Præterea tuendos recepit Inquisitores, quod nomen iis, qui hæreticos indagarunt, datum, quodve in magna lege Theodosii M. adversus Manichæos deprehenditur. Innocentius IV. qui ann. 1243. in solium Romanum evectus est, observandis legibus hisce perpetui cura invigilavit. Dominicanosque, & Franciscanos, qui Ecclesiæ hac in re utilissimam operam navabant, eximia auctoritate ornavit, & Episcopis, quibus cognitio de crimine hæreseos ipso jure competeat, adjunxit, atque Magistratibus mandavit, ut ex judicio Episcoporum, & Inquisitorum apparitores conducerent, à quibus hæretici in carceres compingerentur, & bona eorum occuparentur.

24 Instinctu Raymundi de Pennafort ann. 1233. Inquisitio immigravit in Arragoniam; cognita etiam in nonnullis civitatibus Germaniæ, ac Franciæ, præsertim in Occitania, unde ortum habuit; sed in his haud diu commorata est. Regnum

(a) Fleu. Inst. Eccl. p. 3. cap. 9.

num Neapolitanum ob *dissidia* Regum, & Pontificum intactum mansit ab hoc iudicio, quod in Arragonia quoque elanguit, ac in cæteris Hispaniæ Provinciis vix ulla sui vestigia reliquerat. Sed Ferdinandus Catholicus post penitus ejectos Mauritanos, quum novorum Christianorum plerosque videret ad simulationem christiani ritus compositos, metu eos, præsertim Judæos, quibus terra affluebat, in officio continendos censuit. Ejus precibus ann. 1483. Sixtus IV. dedit Bullam, qua Thomas de Turrecremata, Dominicanus, & Regi à Confessionibus, qui opus hoc urserat in primis, constitutus est Inquisitor generalis. Quo nomine ann. 1484. egit Conventum Hispalensem, ubi universus iudicii ordo, quo etiamnum utuntur, designatus est. Idem Thomas ann. 1485. confirmatur ab Innocentio VIII, ex quo tempore hoc munus in Hispania semper fuit maximum, atque honorificentissimum. Interim Pontifici nihil juris in Inquisitionem Hispanicam, præterquam quod Inquisitorem generalem, quem Rex cunctis Provinciis præponendum nominat, confirmare soleat, qui vicissim ex nutu Regis nominat singularum Provinciarum Inquisitores.

25 Hispani hujusmodi tribunal, in regno Neapolitano formati, impediuntur à Pontifice, quia subjiciendum foret Consilio Inquisitorio Hispanico. Unde in illo regno hæretici judicantur ab Episcopis, vel à Pontificis, id est, Inquisitorum Romanorum delegatis, quibus tamen venia Regis, vel Proregis opus est. Simile quid ausi sunt Hispani in Belgio, ubi Dux Albanus regnante Philippo II. armata manu rem aggressus est. Cujus immanitatis metu defecere Batavi cum fœderatis Provinciis; nec in reliquo Belgio Inquisitionis ullum monumentum est.

26 In Francia, quum recentiores hæreses efflorescerent, audiebantur querelæ de negligentia Episcoporum in perquirendis, puniendisque ea labe infectis. Unde decursum aliquando ad illa iudicia extraordinaria. Nam Parisiensis Senatus ab Episcopis impetravit literas, quibus Senatoribus Clericis vices suas demandarunt, ex quibus compositum est Concilium Inquisitorum à Clemente VII. ann. 1525. confirmatum. Sed inciderunt bella civilia, & edicta pacificationum, quibus ea omnia abolita sunt, ut nullum supersit Inquisitionis Franciæ vestigium, præterquam, quod Tolosæ modico stipendio alitur quidam è familia Dominicanorum, qui Inquisitor audit, sed sine ulla functione.

27 In Italia ex hæresi Lutherana ansam arripuit Paulus III. Romæ instaurandi hoc tribunal, quod remissum erat

sæpius, instituta Congregatione Cardinalium, cum potestate absoluta de hæresi, similibusque criminibus cognoscendi, eisque normam functionum præscribendi. Quum Sixtus V. diversas alias Congregationes, quæ Romæ florent, instituisset; huic primum locum assignavit. Constat ea Cardinalibus septem, ac diversis ministris, habetque ipsum Pontificem Præsidentem, ejusque potestas per omnem Italiam, imo, si Pontificem audias, per totum terrarum orbem extenditur.

28 In Germaniæ imperio exulat omne Inquisitionis tribunal, quia pacis Westphaliæ articuli libertatem religionum, quæ toleratæ dicuntur, indulgent, suspensa in Protestantes omni jurisdictione ecclesiastica.

29 In censura ecclesiastica hæreticis succenturiantur schismatici (a), quia, auctore S. Cypriano, qui unitatem Ecclesiæ non tenent, fidem non tenent. Superest reliquum S. Patris argumentum. c. 18. XXIV. q. 1.

30 Juxta sententiam S. Hieronymi schisma, quod græcum nomen est, scissuram sonat, utpote scissionem, vel divisionem ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, quæ, ex pluribus particularibus Ecclesiis sub uno capite coalescens, universalem, sive Catholicam, & unam Ecclesiam constituit. c. 34. ibi.

31 Censetur ergo schismaticus, qui recedit ab unione omnium, aut pene omnium Ecclesiarum particularium, quæ Ecclesiam universalem efficiunt. Quare Optatus (b) Milevitanus Donatistas esse schismaticos pronuntiat, quod ab Ecclesiarum totius orbis communionem discesserant. Videndum est, inquit, quis in radice cum toto orbe manserit, quis forte exierit? Idem argumentum contra eos sæpius urget S. Augustinus.

32 Schismatis quoque præjudicium est, si quis à Romanæ Ecclesiæ communionem recedit. Est enim Ecclesia hæc propter Primum unitatis centrum, ejusque Antistes omnium fidelium Caput. Quisquis ergo ab hujus consortio se separat, schismaticus præsumi potest. Hinc Theologi cum S. Thoma schisma definiunt, quod sit divisio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in quantum Ecclesia est corpus mysticum ex universis fidelibus tanquam membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans.

33 Emerserunt quidem gravissimæ aliarum Ecclesiarum cum Romana controversiæ: si tamen pacis, & communionis vinculum inter eas abruptum non est, schisma exortum dici

ne-

(a) De Schismat. (b) Optat. adv. Parm. lib. 2.

nequit. Observarunt olim Asiani Episcopi non eandem cum Romana Ecclesia, sed diversam Paschalem diem celebrandi disciplinam, & maximam desuper habuerunt cum S. Victore Romano Pontifice disceptatione, istius tamen communionem non deseruerunt saltem ex parte sua. Gallia quoque Episcopi, tametsi eandem cum Ecclesia Romana disciplinam observarent: *Victorem monuerunt, ut ea potius sentire vellet, quae paci (a); charitatisque erga proximum congruebant, nimirum ut Asianus à sua communione non excluderet.*

Cap. 3.
De Caus.
S. Cypr. &c.

34 Sanctus quoque Cyprianus semper saltem ex parte sua retinuit pacem, & communionem cum Ecclesia Romana, quamvis vehementem cum S. Stephano haberet litem de rebaptizandis hæreticis. Inquit S. Augustinus (b): *Nam illis temporibus, antequam plenarii Concilii sententia, quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiae consensus confirmasset, visum est ei cum ferme octoginta Coepiscopis suis Africanarum Ecclesiarum, omnem hominem, qui extra Ecclesiae Catholicae communionem baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientem denuo baptizari: quod non recte fieri tanto viro nimirum propterea Dominus non aperuit, ut ejus pia & humilitas & charitas in custodienda salubriter Ecclesiae pace patesceret.* Enimvero S. Pater dissentendi liberam facultatem reliquit, illæsa pace reliquit: *Quod ergo ille vir sanctus, aliter de Baptismo sentiens, quam se res habebat, quae postea pertractata, & diligentissima consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubertate compensatum est, & passionis falce purgatum.*

35 Stetit aliquamdiu contentio hæc (c): qualem vero exitum tunc sortita sit, nescitur: attamen sub S. Sixto, S. Stephani successore necdum fuisse sopitam ex epistolis S. Dionysii Alexandrini ad eum datis constat. Cum vero post tempora S. Sixti nihil de hac quæstione, aut occasione illius de Ecclesiarum scissione legatur, verosimilius est, pacem Ecclesiae intercedente præcipue Dionysio Alexandrino redditam fuisse.

36 In reliquo decursu historiarum infestiora faere schismata intestina, quibus unitatem unius, ejusdemque Ecclesiae particularis in discrimen æmuli conjiciebant. Ita Novatus Romanam, & Donatus Carthaginensem Ecclesiam in partes distraxerant rejecta subjectione, quam legitimis Episcopis Cornelio, Cæcilianoque debebant.

No-

(a) Eusebius IV. cap. 24. (b) S. August. de unic. Bapt. lib. I. cap. 18.
(c) Fleur. H. E. l. 7. cap. 32.

37 Novo jure Bonifacius VIII. omnis generis diris, & pœnis Cardinales de Columna devovit, quod in Papa in schisma concitasset, eo obtentu, quod jactarent, Cælestinum V. Papatu se abdicare nequivisse. *c. un. de Schism. in 6.*

38 Reliquæ censuræ, & pœnæ hujus criminis sere eadem sunt, ac hæreseos. Inter alias omnes ordinationes, beneficiorum collationes, aliique actus judiciales à Prælati schismaticis peracti, irriti sunt, illæso tamen plerumque valore Sacramentorum. *cap. 1. de Schismat.*

39 Schisma (a) ex suo genere sine hæresi esse potest, plerumque tamen in hæresi desinit, ut obtentui excusationis locus sit. Si schisma hæresi conjungitur, crimen censetur ecclesiasticum, ut ad solius Judicis ecclesiastici judicium referatur. Si autem merum sit schisma sine hæresi, tunc Judicis sæcularis est turbas componere.

40 Posuit Spiritus Sanctus Episcopus regere Ecclesiam Dei. Possunt ergo vi sui officii episcopalis non tantum inquirere in personas de hæresi, aut perversa doctrina suspectas, atque de his judicium proferre, sed etiam valent de ipsa doctrina, utrum Fidei catholicae aut christianæ morali consona sit, vel ab ea dissona, inquirere, & judicare, prout ostendit exemplum Apostolorum.

Cap. 4.
De Auth.
Epi. damn.
propt.

41 Legitur in actibus Apostolorum, quod, cum esset exorta quæstio sub initio nascentis Ecclesiae, utrum conversos ex gentibus ad Christum oporteret circumcidere, & præcipere quoque, ut ab eis observaretur Lex Moysis, super hac controversia convenerint Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc. Examinarunt Apostoli, & Seniores quæstionem illam, & judicialiter definierunt.

42 Hoc Apostolorum exemplum secuti Episcopi ab initio Ecclesiae in nascentes errores, hæresesque sollicitè inquisierunt, suaque auctoritate mox, ut eas detexerant, suis Decretis confixerunt, & damnarunt, idque præsertim præstiterunt in Conciliis. Supersunt in Decreto Gratiani veteres censuræ Concilii Grangrensis. *cap. 1. &c. D. 30. Concilii Milevitani. c. 52. & seq. D. 71. de cons. Concilii Toletani XII. c. 9. D. 9. ibi.*

43 Hortabatur olim S. Cyprianus Coepiscopos (b), ut conciliariter congregati inquirerent in decisionem controversiæ de Baptismo hæreticorum. *Superest, inquit, ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus.* Putarunt etiam Africani Patres, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finiend.

Epist. Van-Espen. T. II. Qq da,
(a) Supr. §. 52. (b) S. Cypr. in Synod.

da; nec unicuique Provinciae gratiam S. Spiritus defuturam, qua equitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur.

44 Cœperunt sensim inde à sæculo X. causæ fidei, veluti majores, & graviore, decisioni Sedis Apostolicæ reservari. Hac occasione, cum in Concilio Remensi ann. 1148. contra Gilbertum Porretanum Episcopi Gallicani fidei symbolum ederent, reclamarunt Cardinales, prætendentes, nulli fas esse circa filem quidquam determinare citra auctoritatem Romani Pontificis.

45 Novo jure Innocentius III. diserte declarat: *Majores Ecclesie causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui, cum querenti Domino, quem discipuli ipsum esse dicerent, respondisse notabat &c.* Refert. c. 3. de Bapt.

46 Ecclesia tamen Gallicana, ipsaque Universitas Parisiensis Episcoporum auctoritatem in decidendis fidei controversiis semper asseruerunt. In Concilio Constantiensi Joannes Gerson (a) inter conclusiones sub quibusdam articulis ponendas recenset ordine sextam: *Ad Episcopos spectat jure divino—propositionem quandam hereticare, hoc est, hereticalem decernere, vel determinare, nedum doctrinaliter (sicut Doctores Theologiæ possunt) sed etiam judicialiter, cum appositione Decreti pœnalis contra subditos rebelles, &c.* Hac doctrina ita defendebatur à Gallis, ut tamen recognoscerent in Romano Pontifice Primatum jurisdictionis una cum prærogativa suffragii in dijudicandis fidei quæstionibus.

47 Ipsimet etiam regii Magistratus doctrinam illam tanquam basim quandam suarum libertatum reputare non dubitant, ac propterea siquid in Bullis, Rescriptis, vel Brevibus Romanis contrarium eidem occurrere videatur, remedio appellationis, tanquam ab abusu, ab executione, & publicatione hujusmodi Bullas, & literas Papales prohibent, nequid contra libertates Ecclesiæ, & auctoritatem Episcoporum inducatur; uti visum est occasione Brevis Clementis XI. quod an. 1710. proscribat mandatum Episcopi S. Pontii Tomeriarum in Gallis, tribus epistolis Pastoralibus stipatum. Appellationis causa erat, quod illo Brevis præcipue impeti videretur doctrina de auctoritate Episcoporum in definiendis articulis fidem tangentibus.

48 Alibi zeliosiores Episcopi suum fecere, plures laxiorum Casuistarum opiniones proscribere, quorum Decreta refert

Fagnanus

(a) Gerson Op. tom. 2. p. 281.

Fagnanus (a), ut evincat, ad quas tandem laxitates adducti fuerint Patroni Probabilissimi, sive sustinentes, unumquemque posse amplecti tuta conscientia opinionem probabilem, licet minus tutam, & minus probabilem.

* 49 Et inter hæc quid minus tutum, minusque probabile videri poterat, quam illa nonnullorum impudentia, qua passim quædam sententiæ Catholicorum infamia hæreseos notabantur? Quis calumniam excusaret? Ait S. Jacobus (b): *Nolite detrahere alterutrum Fratres. Qui detrahit Fratri, aut judicat Fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem*, quæ præcipit, ut id, quod tibi fieri non vis, nec alteri facias. Refert Sozomenus (c), Ammonium aliquando adisse S. Epiphanium, eique hæc verba fecisse: *Libenter equidem discerem, utrum aliquando in discipulos, aut in libros nostros incidisti? Illo (Epiphanio) negante, iterum quæsit Ammonius; unde ergo hæreticos illos esse judicasti, qui nullum habes argumentum, quo sententiam illorum possis convincere? Et, cum Epiphanius diceret, id se auditu accepisse; nos vero, ait Ammonius, plane contrarium fecimus. Nam & discipulos tuos sæpenumero vidimus, & libros perlegimus: ex quibus est unus, qui Anacoras inscribitur; cumque multi vituperaverent, & tanquam hæreticum calumniari vellent, nos pro parte, uti par erat, propugnāvimus, & causæ tuæ defensionem suscepimus. Proinde nec tu ex solo auditu absentes damnare debuisti, quos nequam tu ipse, certis argumentis inductus, conviceras; nec ejusmodi gratiam referre tuis laudatoribus. Quid discretius exemplo S. Augustini (d)? Nobis, inquit, tutum est, in ea non progredi temeritate aliqua sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cæpta, nullo plenario terminata sunt. Juxta S. Gregorii monitum (e): *Hoc ergo, Frater charissime, subtiliter perpendamus, & sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter profitentem fidem Catholicam non sinamus: ne, quod absit, hæresin fieri sub emendationis magis specie permittamus.* En sententiam S. Hieronymi (f)! *Nihil impudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & in subjectum sibi gregem timidis sermonibus tonant.**

Qq 2

TIT.

(a) Fagn. ad c. 1. de Const. (b) S. Jacob. c. 4. (c) Sozom. lib. 8 c. 15. (d) S. Aug. de Bapt. lib. 7. cap. 53. (e) S. Greg. lib. 6. ep. 25. (f) S. Hier. epist. ad Ocean.